



X 450



Σὺν Θεῷ.

DISPUTATIO

De

ORDINE DO-  
CTRINAE

Quam

*Numinis Divini auxilio*

*Sub Patrocinio*

VIRI

*Excellentissimi & Consultissimi*

DN. JOHANNIS KOBII Phil.  
ac Jurium D. & in Universitate Altorphina  
Organi ac Regularum Juris Professoris Publici Eminen-  
tissimi, Fautoris ac Promotoris sui devotâ animi obser-  
vantia ætatem Parentis loco ve-  
nerandi,

*Pro virili defendere conabitur*

MARCUS OSSIMITZ

VIENNÂ AUSTR:

*In florentissimâ Noribergensium Universitatē*

Mensis die

A. O. R.

clō lō C XLI.

ALTDORFFI

TYPIS SCHERFFIANIS.

X 150 (110)

V I R O

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Prudentissimo*  
DN. DANIELI KARNERO Sen. Inclutæ  
Reip. Posonien. Senatori gravissimo, ut & Ecclesiæ  
ac Gymnasii Evangel. ibidem Inspectori & Scho-  
larchæ primario.

*Nobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo*  
DN. GUILHELMO RAYGERO Med. D.  
& in Liberâ Regiâq; Civitate Posoniensi  
Physico Felicissimo,

*VIRIS itidem*

*Nobilibus, Spectatissimis & vario rerum usu  
peritissimis,*

DN. JOHANNI Pommer/

DN. GEORGIO Müllner/

DN. CASPARO Kauscher / cognato dilectissimo.

DN. NICOLAO OSSIMITZ, Parenti charis,

*DNN. Mæcenatibus, Evergetis studiorumq; meorum Pro-  
motoribus aeterno reverentiæ cultu reli-  
giosè colendis,*

*Exercitium hocce Academicum in ulterioris faventiæ  
ἀγαπήσειον, eâ, quâ par est reverentiâ  
sacrum volo.*

MARCUS OSSIMITZ  
Viennâ Austrius.



*Disputationis*

*De*

ORDINE DOCTRINÆ

THESIS I.



**D**ifficilis admodum & diu ultrò ci-  
troq; inter Philosophos agitata quæstio est:  
*Sitne in Scientiis tradendis discendisq; ordo potius  
nature, an facilioris nostræ cognitionis sequendus?*

II.

*Prius* omnibus studiis propugnavit Franciscus Pic-  
colomineus in introductione ad Philosoph. Civilem.  
cap. 17. 18. 19. & Comite Politico parte 5. *Posterius* ve-  
rò post Averroëm Jacobus Zabarella, initio lib. 1. de  
Metho. cap. imprimis. 5. 6. 7. & 8. In Apologia lib. 1. cap.  
3. usq; ad 10. & deniq; in appendice apologiæ, quam e-  
didit sub nomine Ascânii Persij.

III.

Inter duas has veluti extremè oppositas sententias  
mediam, *quæ ad Piccolominei* tamen propius accedere vi-  
detur, amplexus est acutissimi ingenii & exquisitissi-  
mi iudicii Philosophus Federicus Pendasius Mantua-  
nus, enodationis naturalis Philosophiæ parte 9. & 10.  
quam vel *γυμνασίας* vel *σκέψεως χάριν* hâc ἀγαλέξει tueri  
placet.

A 2

4. Quid

IV.

Quid enim? Annon ordo docendi & discendi quæritur? annon autem iste *ἕξις* significat & respectum inter docentem & discentem, atq; huc respicit, ut ille quidem *rectè* doceat, hic verò quàm *optimè* discat?

V.

Quomodo autem doctor *rectè* docebit, annon primùm laborabit, ut doceat ea, quæ novit se docere posse h. e. quæ ipse prius doctus est, & scit? deinde ut ea *perfectè* doceat & plene? tùm autem respiciet profectum discipuli, ut is *rectè* tradita *rectè* etiam percipiat.

VI.

Neq; *rectè* solùm, *sed & facilè*. Hinc enim artes & disciplinae sunt dictæ imitationes rerum.

VII.

Quemadmodum enim natura generando sequitur ordinem fini accommodatissimum; ubi verò materia repugnat & contumax est, materiae conditionem sequitur: ita artifex in docendo discantis ingenio sese accommodare debet, & per nota eum ducere ad ignota;

VIII.

Cæterùm ut me totum in hâc doctrinâ aperiam, sic sentio: Doctori in docendo duo consideranda venire: unum, *quid se deceat*: alterum, *quæ sit indoles discipuli, quocum ei res, quemq; docere debet.*

IX.

Se si respicit, duo sibi incumbere animadvertet, ut *Verè & Perfectè* doceat.

10. Verè

X.

Verè autem & Perfectè docebit, si consentanea re-  
bus tradet, & ita tradet, quæ scit sicut ipsa scit & intel-  
ligit: intelligit autem sic, ut noverit Principia causas  
rerum. Uno verbo, quem ordinem natura servat in re-  
bus producendis, eum ille intellectu cognoscit & com-  
plectitur: Atq; hinc illud: *Intellectum intelligendo fieri  
ipsum intelligibile.*

XI.

Doctor igitur, dum se & officium suum respicit, in  
docendo quoq; ordinem rerum inspiciet, principiaq;  
& causas primùm docere tentabit, si discipulum hujus  
doctrinæ capacem esse animadvertet,

XII.

Si; & discipulum infirmiore deprehenderit,  
quàm ut per hæc aspera duci possit, moderari docendi  
rationem debet, & per omnia discenti consulere. *Profe-  
ctus enim discipuli finis est docentis.*

XIII.

Hanc sententiam dictavit mihi Philosophus lib. 5.  
Metaph. cap. 1. ἀρχῆς, inquit, inter alia dicitur ὅθεν ἀνακάλυ-  
πται ἕκαστον γένοιτο: οἷον κὲ μαθήσεως, ὅθεν ἀπὸ τῆς πρώτης κὲ τῆς πράγ-  
ματις ἀρχῆς ἐπίστα ἀρκέσειν, ἀλλ' ὅθεν ῥᾶς ἀν' μάθῃ: Principium  
etiam illud dicitur unde quodq; optimè fit, ut princi-  
pium doctrinæ: non à primo ac rei principio aliquan-  
do inchoandum est, sed unde quis facilius discat.

XIV.

Hoc enim loco duæ proponuntur principii signi-  
ficationes: *Una unde res fit: altera unde optimè fit.* Prin-  
cipium

cipium primæ significationis est *indeterminatum*, unde-  
cunq; quis incipiat : alterum autem determinatur *opti-  
mo*, ideo opponitur priori : & tale ait esse in doctrinis,  
quarum principium est, unde optimè fiat *ἡ δαξις* do-  
ctio.

XV.

Illud dubitationem habet, quòd hoc loco Philo-  
sophus ait : *ὅτι ἀπὸ τῆς πρώτης, καὶ τῆς πρώτης ἀρχῆς*  
*ἐνίοτε ἀρχίσειον* : non à principiis rei quandoq; incipien-  
dum, quandoq; ergò rectè à primis seu rei principiis  
initium fieri innuit. Unde quæritur quando rectè à  
principiis rei initium fiat.

XVI.

Hic pleriq; respondent : rectè à primis secundum  
naturam seu principiis rerum initium fieri, si contin-  
gat illa principia *naturâ nota esse quoq; nobis nota*.

XVII.

Ita enim Averroës ad hunc locum Metaphysicum :  
in quibusdam artibus accidit, ut principium essendi,  
*sit idem cum principiis doctrinæ, in quibusdam non*.

XVIII.

Quò trahuntur & verba Arist. extremo cap. 1. di-  
cti 5. Metaph. *ἔτι ὅθεν γνωστὸν τὸ πρῶτον καὶ αὐτὴ ἀρχὴ*  
*λέγεται τῆς πρώτης, οἷον τῶν ἀποδείξεων αἱ ὑποθέσεις* : Item  
unde primùm res cognita est, illud quoq; principium  
rei dicitur, ut puta demonstrationum suppositiones.

XIX.

Mihi verò secus videtur persuaso loco 6. Top. c. 3.  
ubi

ubi cum diu disputasset, ex prioribus ne an posterioribus sit definiendum, tandem in genere ita concludit: αἰσπλῶς μὲν οὖν βέλτιον τὸ διὰ τῶν προτέρων, τὰ ὑστερα πεισάδα γνωρίζειν. Επιστημονικώτερον γὰρ τὸ τοῦτο ἐστίν. Οὐμὴν ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀδυνατηνίαις γνωρίζειν διὰ τῶν τοιούτων ἀναγκαῖον ἴσως, διὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων πεισάδα τὸν λόγον: Simpliciter quidem per priora posteriora tentare oportet cognoscere: hoc enim magis scientificum, verum ad eos qui impotentes sunt cognoscere per talia, necessarium fortè per ea quæ illis cognita sunt, facere orationem.

XX.

Hinc enim sic colligo, si auditores ferre possint Ἐπιστημονικὴν διδασκαλίαν, rectè in docendo, *Natura ordinem retineri*: sin, & infirmiores sint, *ipsorum captui consulendum*, ducendosq; per ea, quæ ipsis cognita sunt, ad alia cognoscenda.

XXI.

Verùm hic audire videor, quid regeratur: malè videlicet locum illum 6. Top. qui rationem definiendi monstrat, ad ordinem doctrinæ referri: aliamq; rationem esse definiendi. Definitio enim est imitatio rei, ut est, non item doctrina, quæ tota refertur ad discen-

XXII.

Unde videmus viros doctos *tardius* ad definitiones progredi, & non nisi præparatis jam discipulorum animis & idoneis ad intelligendam definitionem redditis.

XXIII.

Ego verò ita censeo verba illa *generaliter* accipienda, primùm propter vocabulum αἰσπλῶς: deinde propter

pter vocabulum *γνωρίζειν*, quæ sunt generalia, & ad omnem doctrinam referri possunt.

*XXIV.*

Adde, quod ineptè diceretur: aliquando à primis secundum naturam initium doctrinæ fieri. Si videlicet ista prima nobis quoq; nota sint. Si enim ex hac causa ab illis initium fit, quia nobis nota sunt, regula universalis constituitur: à *facilioribus semper ordiendum*, & nugari esset dicere, aliquando Naturam rerum nos sequi.

*XXV.*

Accedat & alia ratio: Ignorantia communi consensu est morbus quidam animi, quem expellere eodem laborat Doctor. Imitabitur igitur fidelem medicum qui ad corpore ægrum vocatus, ut morbo medeatur, ad duo certe respicit: ad *magnitudinem morbi*, & *vires aegroti*.

*XXVI.*

In magnitudine morbi cognoscenda attendit medicus ad lapsum à naturali statu quantus sit, quæ & quot requirantur, ut quicquid à naturali *συμπερεια* dilapsus est, suo ordini & pristinæ integritati restituat. Quibus exactè consideratis videt, quid vires ægri admittant, & sic ad curam progreditur.

*XXVII.*

Eodem modo Doctor ignorantiam *morbum animi* expulsurus per doctrinam, primùm omnium rei docendæ naturam considerat, quam docere ipse, discere ignorans æger debet, tùm respicit ad ingenium & aptitudinem discantis.

28. Dices

*XXIX.*

Dices, simile hoc non quadrare ad ordinem doctrinæ & inter plura scibilia, sed ad viam doctrinæ: Ut enim medicus morbum in virium imbecillitate molliori brachio tractat, & vires reficit prius, ut fortioribus postea remediis agat; ita fieri amat quoq; in via doctrinæ.

*XXX.*

Et testatus est Aristot. in praxi: sæpè enim initio levioribus & dialecticis argumentis aut dubitationibus animum discentium exercet & præparat, ut postea aptior fiat ad demonstrationes serias capiendas.

*XXXI.*

Quadrare autem pro sententiâ eorum, qui ubiq; facilioris cognitionis rationem habendam putant, si medicus consideretur tractans plures morbos inter se ordinem habentes: E. G. sit Hæctica, pendens ex ulcere pulmonum, quod ulcus pendeat à catarrho, catarrhus à constipatione alvi.

*XXXII.*

Inter hæc mala levissimum est alvi constipatio: idcirco postremo loco curanda: Maximè verò urget cordis intemperies Hæctica, hæc enim mortem afferre potest, ac proinde primo loco tollenda videtur, si rerum naturam & medicæ artis principia consideres.

*XXXIII.*

Sed hanc considerationem tollit facilitas curationis, & prius alvi constipatio tollitur, catarrhus deinde sistitur, ulcus consolidatur, deniq; Hæctica tollitur.

B

Vides

Vides ergo facilitatem curationis neglectam rerum naturam attendi, Faciliori autem curationi in arte medicina, respondet facilior cognitio in ordine doctrinae. Haec igitur aliquis adversus sententiam nostram disputet.

*XXXIII.*

Quid nos ad haec? Dicimus primum non ferire nos haec omnia, quae allata sunt; primum enim concedimus simile nostrum, viae quoque; & non minus convenire quam ordini doctrinae.

*XXXIV.*

Deinde & hoc addimus, nos non pugnare potiorrem non habendam esse rationem facilioris cognitionis, quam ipsius rerum Naturae: hoc solum volumus, in docendo non prorsus nullam habendam esse rationem etiam ipsius rerum naturae.

*XXXV.*

Quod verò melius quadrare similitudo nostra ad solum ordinem facilioris cognitionis obtinendum dicitur, id tantum abest, ut largiar, uti totum argumentum invertam, & pro me facere asseram.

*XXXVI.*

Affertur principium medicum seu methodicum & rationale: plures morbi si aegrum exagitent, urgentiori aut periculosiori est obcurrendum. Hoc principium fingitur respondere rerum Naturae ordini.

*XXXVII.*

Subjungitur hoc principium non attendi in Medicina, sed facilioris curationis vel maxime rationem haberi;

beri: primùm enim alvi obstipationem expediri, ad extremum demum Hecticam tolli. R. Rerum Naturam id exigere ut fomes & fons mali auferatur, quo sublato, reliqua sensim & suo ordine tolluntur.

XXXVIII.

Rei igitur Natura consideratur à medico, cùm primùm obstipatio alvi expeditur, non facilioris cognitionis ratio habetur, quanquam nonnulla illius quoq;.

XXXIX.

Persisto igitur in meo simili & dico: quemadmodum medicus primò intendit in ipsum morbum, eumq; diligenter considerat, & quando potest eidem remedia primò adhibet nullâ scilicet continentiam morborum existente, nihilominus tamen etiam facilioris curationis rationem habet. Non tamen nego medicos interdum ob vehementiam & atrocitatem symptomatum morbo relicto, etiam symptomati mederi. Sed ex illo principio: *Urgentiori malo prius obcurrendum*. Ita doctor discipulum instituturus primùm rem docendam considerat & quomodo maximè *Ἐπισημονικῶς* docere possit.

XL.

Si incidat Doctor in mentem cultam & elegantem, per notiora secundum Naturam, h. e. per principia & causas rei deducet eum ad scientiam. Sin, in rudem & incultam incidet, à notioribus nobis progredietur, & alterâ veluti navigatione navigabit.

XLI.

Quid si hoc Natura nos docuit? (quæ cùm in generatione rerum spectet, sicut & aliis in rebus omnibus)

B 2

id quod

id quod est optimum, & proinde marem generare contendat: obsequitur tamen materiæ ineptitudini, & sic ubi illa adfit, foeminam generat: neq; enim marem ex illa materia generare potest, sicut nec optimus pistor ejusdem candoris panem ex hordeo conficere potest, quem ex tritico posset: innuit sanè idem in artibus tradendis faciendum (*magna enim Natura & artis similitudo*) & spectandam ubiq; rerum Naturam à Doctore, si cum effectu possit, & captus discipuli non repugnet. Sin; obsequendum ejus infirmitati.

*XLII.*

Verùm & hoc simile vapulat: Objicitur enim, marem & foeminam non respondere ordini docendi, sed dogmatibus veris & falsis: Licet autem Doctor accomoder se in ordine scibilium captui auditoris, non tamen aliam constituit scientiam, docendo ordine Naturæ, aut facilioris cognitionis, sed eandem & veram. Generatrix autem facultas dum pro mare facit foeminam, non errat in modo aut ordine generandi, sed in effectu & re genitâ.

*XLIII.*

Error autem iste, quia contingit ob materiam, quæ fieri mas non poterat, idcirco nec ineptitudo seu contumacia rectè confertur captui discantis: Is enim non variat effectum, sed modum efficiendi & ordinem.

*XLIV.*

*Simile R. non est idem*, sed quadrat tamen illi instituto, cui applicatur. Hoc autem agitur productâ similitudine: Quemadmodum Natura intendit primò generare marem, verùm interveniente materiæ ineptitudine in hoc aut illo individuo producendo deserit  
primum

primum intentum, & generat fæminam : Ita Doctor in docendo, primum id intendit, quod requirit doctrina, & perfectam quandam & cum rebus exactam conformationem sibi præfigit : interveniente verò discipuli imbecillitate, primum hoc intentum deserit, & secundum h. e. facilioris cognitionis ordinem assumit.

XLV.

Neq; id quicquam nos movet, quod Natura eodem generationis ordine progreditur in mare & fœmina generandâ; non enim agit cum ratione, quæ variare solet agendi modum, sed insitâ *ὄρμη* & propensione. Doctor autem ratione utitur.

XLVI.

Unde sic concludo: Natura in generando cum materia repugnat, desistit à primo intento & fœminam generat non marem, neq; tamen fœmina præter naturam generatur, quia ex necessitate materiæ fit, quod fœmina generatur: materia autem etiam est Natura: E nec Doctor prorsus Naturæ ordinem deserit, cum facilioris cognitionis rationem habet.

XLVII.

Est enim & hoc naturæ rerum ordinem sequi, docere si non rectâ viâ possis, per ambages docere. Cum sit officium Doctoris *docere*, quemadmodum Naturæ *generare*. Discipulus verò materiæ rationem induit, Doctor agentis, & materiam informare volentis.

XLVIII.

Illustrari hoc sic potest: Discere atq; omninò intelligere est, ut Aristot. loquitur 3. de anima, efformari ac  
B 3                      recipere;

recipere: Jam, unum quodq; recipit, prout aptum est recipere. In phialam v. g. quæ ore sit angusto, si aquam infuderis pleno fluxu, aqua quidem dispergetur, in phialam autem vel nihil vel modicum quid influet. At si guttatim infundatur, vas replebitur.

XLIX.

Eodem modo & Doctor considerando quid discipulus recipere possit, & illi sese accommodando, non deserit tamen prorsus ordinem Naturæ: *Fini verò suo facit convenienter.*

L.

Sic igitur ex hætenus dictis concludo: Doctorem in docendo primùm quidem & præcipuè intendere, docere eo modo, quo ipse scit, id, quod docet, h. e. rerum Naturæ convenienter.

LI.

In docendo hoc etiam ordine progredi, si discipuli captus ferat: Feret autem captus si ei cum viris doctis res sit, aut ingeniis *εὐφροία* aut *ἀγχιωσία* præditis. Ibi enim præstat veris principiis initio inniti, & falsis contradicere.

LII.

Ubi verò ejus captus discipuli non sunt, non quidem rerum Naturæ ordinem prorsus illi animo excidere, potiore tamen facilioris cognitionis rationem habere, ut fine suo potiatur. Hæc hætenus.

MELIORA MELIORES.

---

PARERGA.

I.

Sola philosophia theoretica apud Aristotelem propriè meretur nomen philosophiæ.

2. Non

2. Non probamus sententiam eorum, qui politicos libros non tam ob necessitatem artis, quam ob hominum pravitatem confectos existimant.


3. Dialectica Aristotelea latius patet, quam prima philosophia.

4. Duplex est res considerandi modus, unus popularis, alter exquisitus & accuratus.

5. Aliud est ordo doctrinae, aliud methodus.

6. Vox dialectices apud Arist. nunquam pro toto organo accipitur.

7. Neq; nomen logicae apud eundem substantivè usurpatum legitur.



Ad literatissimum

DN. RESPONDENTEM.

**M**I Dn. Ossimizi carmen petis? frustra. aere vena nimis, non mihi ut antè favet; nolim tamen, prorsus repulsam feras, aliud elargior, vel auro contrà carius, quod legitur apud antiquissimum Ecclesia Scriptorem S. Ignatium, Dialog. cum Tryphone, statim ab initio: *Ἐστὶ τῶ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτήμα, καὶ ἡμιώτατον θεῷ. ὅτι πρὸς αὐτὴν καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη καὶ ὅσιος ὡς ἀληθῶς ἔπι εἰσὶν οἱ φιλοσοφία τὸν νῦν προσεχηκότις: Ἐστὶν ὅτι* *revera Philosophia maximum Bonum est possessio, & apud Deum VENERABILIS, qua ducit Nos ad Eum & sistit sola: & beati illi, qui mentem ei donant! Hac uti verissima sunt de vera Philosophia, ita ad istam anhelandam unice tibi aurem vellico, & sub hoc Duce ejus impetranda firmam spem facio: fructum ipse brevi capies, dummodò à capto cursu non retrocesseris. VALE.*

GEORGIUS KÖNIG D.

Præstan.




*Prestantissimo*

DN. RESPONDENTI.

Suavis voluptas si qua cor adficit,  
Veris voluptas id facit unica:  
Dat gaudiis omnes fruisce  
Omnem animæ recreat medullam  
Cantans Aëdon personat aëra,  
Et voce rumpit, dat varios sonos,  
Nulla dierum feriata,  
Nec capit otia nocte molli  
Alauda gyros ducit amabiles  
Secuta pennis sidera, crispulas  
Melo vibrissat cantilenas,  
Gaudet adesse comesq; ruris.  
Et senticetum vepribus horridum,  
Miratur ipsum garrulæ Acanthidos  
Minurrientis flexilingui.  
Ore novum tremulumq; cantum,  
Mî Fautor, Osmiz: Hæc modulamina  
Tibi dicantur: Ver Tibi sic novum  
Tuisq; Musis auspica  
Luce nitens satis ominatur.  
Cave, caducus gymnade primulâ  
Hujus duelli tollere pollicem,  
Cogâre: Vines: Non supina  
Segnities statuit tophæa.

*Ita gratulatur Consalino suavissimo  
Justinus Herdesianus Norib.*

FINIS.










dfrat  
Vatu  
rbum  
bi fin  
m qu

icium  
itias t  
us ina  
eris p  
dor a  
labo  
ribus  
tus es  
ere h  
a Soa  
ibus  
a ut

est. D.

JOA



Σὺν Θεῷ.  
DISPUTATIO  
De  
ORDINE DO-  
CTRINAE

Quam  
*Numinis Divini auxilio*

*Sub Patrocinio*

VIRI

*Excellentissimi & Consultissimi*

DN. JOHANNIS KOBII Phil.  
ac Jurium D. & in Universitate Altorphina  
Organi ac Regularum Juris Professoris Publici Eminen-  
tissimi, Fautoris ac Promotoris sui devotâ animi obser-  
vantia ætatem Parentis loco ve-  
nerandi,

*Pro virili defendere conabitur*

MARCUS OSSIMITZ

VIENNÂ AUSTR:

*In florentissimâ Noribergensium Universitatē*

Mensis die

A. O. R.

clō 1ō C XLI.

ALTDORFFI

TYPIS SCHERFFIANIS.

X 150 (110)

